

**Machín de Aquena, Ambrosio Arzobispo de
Cagliari (O. de F.)**

**Reverendissimi Patris Magistri Fr. Ambrosij
Machin Prioris Barchinonen & Vicarij Generalis
Ordinis Beatae Mariae de Mercede, Redemptionis
captiuorum, explanatio in locû Concilij Tridentini
cap.6. seff. 25. de regularibus, vbi loquens
Concilium de modo in electione seruando, sic ait :
nec in posterum liceat Prouinciales, aut Abbates,
aut alios quoscumque Titulares ad
effectumelestationis faciende constituere.**

[s.l.] : [s.n.], [ca. 1617].

Vol. encuadernado con 23 obras

Signatura: FEV-AV-G-00189 (20)

La obra reproducida forma parte de la colección de la Biblioteca del Banco de España y ha sido escaneada dentro de su proyecto de digitalización

<http://www.bde.es/bde/es/secciones/servicios/Profesionales/Biblioteca/Biblioteca.html>

Aviso legal

Se permite la utilización total o parcial de esta copia digital para fines sin ánimo de lucro siempre y cuando se cite la fuente



REVERENDISSIMI PATRIS MAGISTRI FR. AMBROSII Machin Prioris Barchinonen. & Vicarij Generalis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis captiuorum, explanatio in locū Concilij Tridentini cap. 6. sess. 25. de regularibus, vbi loquens Concilium de modo in electione seruando, sic ait.

Nec in posterum liceat Prouinciales, aut Abbates, aut alios quoscunque Titulares ad effectum electionis faciendæ constituere.



VIA Contra electionem Reuerendissimi Patris Ambrosij Machin in Priorem Barchinonen. factam die 19. Septembris anni 1617. qui Prioratus vacauit per renuntiationem Patris Bernardi Papiol, obijcitur ad illam infringendam prædictus locus, & decisio Concilij Tridentini, quasi contra eam facta fuerit, & in poenas in eo cap. impositas inciderit; operæpretium duxit idem Reuerendissimus Pater huius loci veram explicationem & intelligentiam propalare.

DICENDVM est ergo, locum prædictum Concilij sic intelligendum esse, vt prohibeat Concilium ne nouæ personæ futuri electores extra numerum legitimum, & formam iuris creentur & cōstituantur ad effectum suffragandi actiuè. Hæc explicatio duo continet asserta.

A

Pri-

1. 104
Primum assertum. Per hanc decisionem Concilij solum prohibetur constitutio & effectio novorum Titularium & suffragiorum ad effectum electionis faciendæ extra legitimum numerum & formam iuris. Hoc est evidentissimum, imò & necessarium, nec aliter intelligi potest Concilium: nam effectio & constitutio Titularium, & suffragiorum facta per electionem canonicam secundum formam iuris, non solum non potest esse prohibita, imò est necessaria: nam in omnibus capitulis Prouincialibus eligitur vnus Prouincialis, & duo vel plura suffragia, qui dicuntur Diffinitores Capituli Generalis, & eliguntur ad effectum Generalatus electionis faciendæ, vt patet. Imò si aliquis illorum mori contigerit, statuit constitutio Ordinis, vt à Prouinciali & Diffinitoribus alius nouus adhunc effectum eligatur. Igitur constituere Titulares & suffragia ad effectum electionis faciendæ, si sit iuxta formam iuris, & constitutionum, non cadit in mentem Concilij prohibere: solum ergo prohibita fuit constitutio Titularium & suffragiorum extra numerum legitimum, & formam iuris, & constitutionum.

Confirmatur, quia verbum *constituendi* seu *creandi*, vt inferius, ibi: *Qui ad hunc effectum se creari permiserint*, quibus vtitur Concilium in eodem capite, idem significat quod de nouo, & prohibito supponere ad effectum multiplicandi suffragia contra numerum & dispositionem iuris. Tum, quia variatio verbi *Constituere*, hoc significat, cum vsque ad illud in eo capite vsus fuerit nomine electionis, & verbo *eligendi*, vt distinctionem faciat à verbo *constituendi*. Tum, quia qui legitime, & iuxta dispositionem iuris eligitur, proprie non dicitur creari, quia hoc verbum importat actionem natura sua nullam prerequisite dispositionem antecedentem, sed solum voluntatem creantis, sumpta analogia à vera creatione, quæ in hoc distin-

stinguitur ab alijs productionibus, & ideò verbum hoc, *Creandi*, proprie accommodatur non electionibus, sed nominationibus, sola voluntate Pontificis, v.g. vel alterius facta: sicut dicuntur creati Cardinales, non verò dicitur creatus Pontifex, quia illi nominantur, Pontifex verò eligitur. Hinc fit prædictam electionem Prioris, etiam dato quòd fuisset facta ad effectum electionis Generalatus faciendæ, non esse contra hanc decisionem Concilij, quia facta fuit iuxta formam iuris & constitutionum.

Secundum assertum, Prædictus textus Concilij necessario est intelligendus actiue, ita vt prohibeat Concilium novos Titulares ad effectum suffragandi in electionibus constitui. Ita Farina. in dictum caput. 6. Concilij; Cor. lib. 1. quæstion. q. 35. quem citat Emanuel Rodriguez in cap. 102. de election. iuxta formam Concilij Trid. in sua summa num. 10. & ait his verbis: vòluisse à Concilio expelli antiquam consuetudinem aliquarum religionum, in quibus solebant deficientibus suffragijs in capitulis eorum Præsidentes alios illorū loco nominare, & hoc prohibuit Concilium.

Probatum primò, huiusmodi assertum ex ipsomet contextu in illa sequenti disiunctiua, *Aut voces suffragia absentium supplere*, vbi manifestè loquitur actiue de suffragijs, quibus debet fieri electio. Etenim ne datur locus fraudi, prohibet effectum electionis faciendæ.

Probatum secundò ratione, quia Concilium intendit tollere fraudem & dolum circa electionem faciendam, vt patet ex illis verbis: *Quo omnia recte, & sine vlla fraude fiant*. Sed hæc fraus solum sequitur ex creatione nouorum suffragiorum extra formam iuris, qua efficitur amplitudo plurium electorum, quibus in dicta electione suffragantibus reuera inducitur manifesta fraus; non verò ex eo quòd constituentur plures Titulares passiuè ad effectum electionis, quia etiã ipsis hoc

fine constitutis non sequitur fraus & dolus in electione, cum liberum sit electoribus talem titularem constitutum eligere, vel non; igitur constitutio titularium ad effectum electionis faciendæ, & in ea suffragandi active excluditur à Concilio, non verò passivè.

16 Tertiò, quia ut aliquis habeat vocem passivam in electione, non est necessarium quòd constitutur Titularis, Prior, vel Abbas, nam vocem passivam æqualiter omnes habet, etiã non Titulares: sed solùm necessarium est in voce & suffragio activo: igitur prohibitio effectus seu constitutionis Titularium ad effectum electionis faciendæ non debet intelligi passivè, cum ad hoc non sit necessaria aliqua nova constitutio, nec possit ipsa inferre fraudem in electione, sed activè ad effectum suffragandi.

17 Ex dictis manifestè sequitur, Concilium non loqui in nostro casu contra prædictum Ambrosiũ Machin, nam ipse fuit electus in electione Prioratus Barchinonen. in qua non fuit effectus seu constitutus Titularis ad effectum illius electionis faciendæ activè, imò neq; etiam ut eligeretur passivè, Titularis constitutus est.

18 Sed contra objiciet aliquis, sicut Concilium prohibet creationem titularis ad suffragandum activè in electione, ut tollatur fraus, pari modo prohibet electionem Prioris ad effectum alterius dignitatis, & Vicariatus Generalis obtinendi, præcipue cum ad hunc finem renuntiaverit Prior præexistens: nam etiam in hoc videtur aliquam fraudem contineri.

19 Respondeo, negando paritatem, in primis, quia cum hæc lex Concilij sit odiosa, non est amplianda, sed restringenda ad illum casum, de quo agit Concilium, nempe circa electionem faciendam, non verò respectu dignitatis ex natura rei, & de iure consecutæ, sicut est Vicariatus generalis respectu Prioratus Barchinonen.

20 Deinde dico, electionem Prioris Barchinonen. etiam

etiam ea intentione vt obtineat Vicariatum Generalem, nec ex parte eligentium, nec ex parte electi esse aliquo modo vitiosam, nec fraudulentam. Probatur, quia actus non potest esse vitiosus nisi ex obiecto vitioso; sed obiectum electionis dicti Prioris nullo modo est vitiosum etiam cum intentione obtinendi Vicariatum Generalem, tum quia dictus Vicariatus Generalis de iure & constitutione est annexus Prioratui; ergo intendens Vicariatum Generalem in electione Prioris non intendit aliquid contra legem, imò iuxta legem: nullum ergo vitium in ea intentione reperitur. Tum quia impossibile est separare ab electione Prioris Barchinonen intentionem obtinendi Vicariatum Generalem (si Magistratus Ordinis vacauerit) nam hæc præminentia & dignitas est naturaliter annexa Prioratui ex lege, & constitutione Ordinis, & ad hunc effectum præcipuè statuit cap. 16. dist. 2. vt eligatur in Priorè Barchinonen. ex tota Prouincia Aragoniæ dignior, & magis sufficiens, nō ob aliam causam, nisi ratione successionis in Vicariatu Generali : & ita solet vulgo in Religione Prior Barchinonen. appellari Princeps iuratus, seu Cæsar Religionis; ergo vel semper est vitiosa electio Prioris Barchinonen. ratione huius intentionis; vel nō fuit vitiosa electio Ambrosij etiam hoc fine facta & acceptata.

Confirmatur à simili, quia in Canonicatibus Ecclesiæ Collegiatæ sancti Iusti Complutensis successiue ex ipsa institutione succedunt Doctores in Academia Complutensi in sacra Theologia laureati secundum suas antiquitates in gradibus, at certum est omnes ferè Doctores Complutenses ea intentione gradum Doctoratus suscipere, vt ratione illius postea Canonicatum obtineant. Quis autem vnquam dixit nec somnauit suffragia eis data ad gradum Doctoratus, & ipsam collationem fuisse vitiosam, quia efficitur

-vel omni intentione & intentione non inten
blidob

intentione obtinendæ alterius maioris dignitatis? Et similia possent exempla afferri.

Confirmatur secundò, quia appetere dignitates quascumque Ecclesiasticas non est vitiosum, secundùm illud Pauli 1. ad Timotheum cap. 3. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Et est per se notum, tùm quia dignitas Ecclesiastica quæcumque, secundum se, est obiectum bonum; ergo appeti potest, & licitè intendi. Tum quia alàs omnes ferè homines præcipuè Ecclesiastici, essent vitiosi illas intendentes, & licitè procurantes, ergo etiam si Vicariatus Generalis cadat in intentione electi, & eligentiũ Priorem Barchinon. non ideo est vitiosa talis intètio, neque electio; atque adeò nec prohibita à Concilio.

Dices, posse obiectum bonum vitari ex mala circumstantia, quæ hîc videtur intercessisse, nempe imatura renuntiatio Prioris præexistentis ante finitum tempus sui officij, eo fine, vt vacante Prioratu noua electio fieret ad illum effectum Vicariatus obtinendum, in quo aliqua ratio fraudis seu doli videtur latere; defraudatur enim Prouincialis Castellæ, quem de factu Prioris nominat constitutio ordinis ad prædictũ officium Vicariatus Generalis.

Sed contra hoc est, quia talis renuntiatio neque secundum se, neque in tali circumstantia temporis, & cùm tali intentione est mala, neque fraudulenta; ergo neque prohibita. Probatur antecens quoad primam partem: quia potest Prior Barchinonè. semper, & quãdo libuerit, licitè renuntiare Prioratui, sicut & omnes habentes officia; vnusquisque enim potest abdicare à se ius, quod habet, præcipuè si admittatur eius renuntiatio, nam est dominus iuris sui, vt patet. Probatur antecedens quoad secundam partem, quia renuntiare in ea circumstantia temporis, & ea intentione, vt noua electio fieret, nouusque electus esset Vicarius Generalis, non est vitiosum, & fraudulentum, imò laudabile

dabile, & meritorium, quia hoc factū fuit, ne domus Barchinonen quæ est mater Religionis, & caput, & in qua prædictus Papiol suam emiserat professionem, priuaretur officio Vicariatus Generalis. Velle autem, & procurare bonum, & dignitatem suæ matri, & domui, non est vitiosum secundum se, vt patet.

Nec potest dici vitiosa, & fraudulenta hæc volitio, & electio, quia ex ea sequebatur priuatio illius dignitatis in Prouinciali Castellæ: siquidem non eo animo facta dici debuit, vt illi tolleretur, sed vt suæ domui ius conseruaret: at secundum regulas iuris, *nemini facit iniuriam, qui suo iure vititur*. Vnde non dicitur actus dolosus mihi primum proficuum, licet alteri inconsequentiam sit damnosus; præcipuè si solum sit alteri priuatiuè damnosus, vt communiter tradunt Doctores. Et patet à simili, v. g. si aliquis ingentē pecuniæ summam alicui Cœnobio testamento reliquisset, dummodo eius Prior intra duos menses familiaris sanctæ Inquisitionis efficeretur, sin autem hospitali traderetur, vt Cæsaraugustæ accidit in Conuentu fratrum Prædicatorum; si Prior illius Cœnobij, tempore obitus testatis, non esset familiaris, nec esse posset, certe laudabiliter renuntiaret Prioratui, vt nouus eligeretur, qui esset familiaris, vel esse posset intra illos duos menses, ne sua domus amitteret tam ingentem pecuniæ & censuum summam, licet illa renuntiatio esset consequenter damnosa hospitali: similiter in præsentī.

Quod si instet aliquis, illam renuntiationem præsumi factam in commodum dicti Ambrosij Machin, vt vacante Prioratu ipse eligeretur Prior, vt postea esset Vicarius Generalis, in primis hoc est falsum, vt demonstrabitur euidencia facti. Secundo dato, & non concessio, quod prædictus Papiol habuisset in animo renuntiare cum prædicta intentione, adhuc renuntiatio nō est vitiosa, nec fraudulenta, tū quia vnus quisq; potest

potest cedere iuri suo in bonum tertij, tum etiam quia cum electio Prioris pendeat à suffragijs secretis electorum eligentium, qui potuerunt aliter eligere, nulla fraus, nullus vè dolus in ea excogitari potest, ratione cuius dicatur fraudulenta, aut vitiosa v.g. si aliquis renuntiasset dignitatem Ecclesiasticam (vt puta Canonicatum) quæ providenda esset concursu & suffragijs secretis eligentium ex concurrentibus magis idoneum, etiamsi eam renuntiationem faceret eo animo, vt alius secum familiaritate coniunctus, alioquin insignis doctrinæ, eam per Concursum assequeretur; certè hæc renuntiatio nō esset vitiosa, quia collatio illius pēdet ab alijs electoribus, qui poterunt libere sua suffragia digniori conferre; similiter in præsen-
ti, ergo.

Vltimo addo, non obstare illam correspectiuitatē Ambrosij cum prædicto Papiol nominando illum in Vicarium Prouincialem Prouinciæ Aragoniæ, quia multo antea per vnum annum ferme integrum, antequam vacatio Generalatus somniaretur, nec vestigiū illius existeret, iam habuerat prædictus Papiol hanc dignitatem sibi nominatione affectam, quando prædictus Ambrosius Prouincialis existens à Prouincia abfuit, verbum Dei in Regia curia, sui Generalis iussu, in quadagesima antecedenti concionaturus, quo omnis noue collusionis & correspectiuitatis affectatæ suspicio penitus excluditur. *Salua in omnibus, &c.*

*M. Fr. Ambrosius Maschin Prior
& Vicarius Generalis.*